
BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

27

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

C. 34. 1 - 3

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

C. 42-1-3

EPITOME

OMNIVM RERVM ET SENTENTIARVM, quæ annotatu dignæ in Commentariis Galeni in Hippocratem extant, per Andream Lacunã Secobienſem, Medicum Iulij III. Pontif. Max. in Elenchum minimè pœnitendum digeſta.

Cui acceſſere nonnulla Galeni Enantiomata, per eundem Andream Lacunam ſummo ſtudio collecta.

Del Sugo D. Capuccini
D. Calw Giuliani



BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

LVGDVNI,
Apud Guliel. Rouillium, ſub ſcuto Veneto,
M. D. LIIII.
Cum Priuilegio Regis.

Priuilegium Regis ad calcem huius voluminis appositum est.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

CLARISSIMO VIRO, D. D. Ioanni Furtado à Mendozza, apud Venetos Oratori Cæsareo longè dignissimo, Andreas Lacuna S. P. D.

QVVM haud ita pridem sub patrocinio tuo epitomen omnium Galeni operum in publicum edidissem, Vir clarissime, pollicitus sum studiosis, breui etiam daturum me, Periochen, ac veluti summam quandam, commentariorum illius viri in Hippocratẽ. Quod promissum, tametsi meis viribus impar, ac propemodũ temerarium extitit, factum tamen est benignitate superûm, vt non omnino vanum, aut irritum euaserit. Siquidem quum primùm applicui Romam, ex priori fœtura illa adhuc totus anhelabundus, ad edendum secundum partum me accinxi: collatísque exemplaribus Latinis cum Græcis, vniuersas memoratu dignas sententias, quæ in Galeno supra Hippocratem extant, summa fide contraxi, contractásque, in Elenchum minimè pœnitendum digessi, vt omnibus medicinæ studiosis enchiridij instar forent. Quantum autem laboris ac tædij mihi exhauriendum fuerit, hoc insigne saxum dum voluerem, iudicent eruditi, qui abunde norunt, quàm arduũ & laboriosum sit, accuratum aliquem Indicem condere, vel vocula-

rum tantùm,nedum ſententiarum. Quòd ſi hac in re iudiciis delicatioribus omni ex parte ſatis non fecerim,à culpa reddet me immunem magnitudo negotij ſuſcepti: quandoquidem(vt non minùs verè,quàm eleganter,ait ille) ἀρκεῖ ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον. Hoc autẽ quicquid eſt vigiliarum,dicare Amplitudini tuæ ſtatui, exiſtimans operæpretium fore,ſi qui abs te cumulatus plurimis ac magnificis beneficiis receſſi,hoc ſaltem argumento,licet tenui,teſtarer quandam animi gratitudinem,propenſionémque erga tuam dignationem.Ea quippe humanitate ac beneuolentia me excepiſti, exceptúmque tractaſti, quandiu apud te cõmorari Venetiis licuit,vt planè totum eripueris me mihi. Superuacaneũ autem impræſentiarum videtur,quicquam dicere de ſingulari prudentia tua, temperantia inſigni, admirabili continentia,multiiuga eruditione,rara in dicendo facundia,cæteríſque heroicis virtutibus tuis,quas in te vno ſitas,illuſtratáſque ſplẽdore & claritudine generis,vniuerſi hodie admirantur:quæq; adduxerunt Diuum Carolum Quintum Cæſarem,vt cum maximo bonorũ omnium applauſu,& nihil eiuſmodi ambientem,præficeret iſti tam graui muneri Oratoris,quod in ampliſſimo iſto Senatu Veneto tanta cum laude adminiſtras, vniuerſáque Orientis arcana tuæ fidei,ac ſapientiæ concrederet.Hos itaq; quaſcunq; labores meos,ſub ſplendore nominis tui prodeuntes,hilari fronte ſuſcipito,ſuſceptóſq; contra vipereos vitiligatorum morſus defendito. Vale.Romæ IIII. Cal. Feb. 1551.

BIBLIOTECA CENTRALE DI ROMA

Ad Can

Ad Candidum Lectorem.

EMITTIMVS tandem in tuũ vſum, Candide Lector, omnes Commentariorum Galeni in Hippocratem memoratu dignas ſententias, in Elenchum Indicémque adeò accuratum digeſtas, vt cuiuſuis præcipuæ dictionis nominatiuus, ſemper ferè genitiuũ præcedat: hic datiuum: datiuus accuſatiuum: ac ſic deinceps: annotatis inſuper locis omnibus, vnde illæ deſumptæ fuerint. Quum legeris igitur, exempli gratia, Com. in Aph. 1. lib. 6. intelliges ſententiam illam haberi Commẽtario in Aphoriſmum primum libri 6. Quum videris ſcriptum Com. 2. in lib. de Offi. cap. 29. petenda ſententia illa eſt, ex capite vigeſimonono Commentarij ſecundi in librum de Officina medica, quem Hippocrates vocat κατ' ἰητρεῖον. Similiter vbi legeris, Prorrh. vel Progn. vel de Art. intelliges librum Prorrheticorum, Prognoſticorum, ac de Articulis. Siquidem breuitatis ſtudio adducti, noluimus paſsim integram dictionem apponere.

Porrò libellos contra Lycum & Iulianum, olim à noſtra illa Epitome excluſimus, vt eos in hanc ſecundam editionem reſeruaremus: quandoquidem in ipſis Galenus interpretatur Hippocratem, eumque aduerſus Lycum & Iulianum rabiem tuetur.

Iam verò ordo & numerus capitum relegat te ad

eam Galeni editionem, quæ in viij. classes digesta, sub forma viij. fuit Venetiis excusa, idque industria Victoris Trincauelij, anno 1541. quam nimirum dum hæc conderemus, vnà cum codicibus Græcis semper habuimus præ manibus.

Nihil autem est, quòd te admoneam, synonimorum in perquirendis sententiis maximam esse habendam rationem: quum ipse per te abunde intelligas, sub multis ac variis nominibus posse plurima inuestigari. Synonima enim voco diuersa nomina, quæ vnam eandémque rem consignificant: qualia sunt Iecur, Hepar: Splen, Lien: Phlebotomia, Venæ sectio, sanguinis missio: Pleuritis, Lateralis morbus: Epilepsia, Morbus comitialis, Herculeus morbus, Caducus morbus, &c.

Fruere itaque hoc quantulocunque labore nostro, in tuam gratiam suscepto, & si quid videatur aut minùs aptè tractatum, aut incultiùs dispositum, fragilitatis humanæ minimè obliuiscaris. Vale.

EPI

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA